



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

Epistola XI. Caelestini Papae III. Ad Simonem Decanvm Eboracensem. De administratione eiusdem dioecesis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

studuerint, de indulto nobis a Domino auctoritatis officio illam remissionem impositæ poenitentiæ per sacerdotale ministerium facimus, quam prædecessores nostri suis noscuntur temporibus statuisse: vt videlicet qui corde contrito & humiliato spiritu laborem huius peregrinationis assumperint, & in poenitentiam peccatorum hoc iter expedierint, si in fide decesserint, plenam suorum criminum indulgentiam, & vitam consequentur æternam. Bona quoque ipsorum, ex quo crucem acceperint, cum familiis suis sub Romanæ ecclesiæ, nec non & archiepiscoporum, aliorumque ecclesiæ prælatorum protectione consistant, & nullam de his, quæ in susceptione crucis quiete possederunt, (donec de ipsorum reditu vel obitu certissime cognoscatur) iacturam vel perturbationem sustineant vel quæstionem, sed bona ipsorum integra remaneant interim & quieta.

Illi autem qui in subsidium terræ illius de bonis suis illic transmiserint de peccatis suis veniam consequentur, iuxta moderamina prælatorum. Hunc tibi, frater archiepiscope, oneris huius laborem duximus iniungendum, mandantes, vt apud carissimum in Christo filium nostrum illustrem Anglorum regem, qui terram sanctam sub trium statuit treguis annorum, vt ad defensionem illius terra milites & pedites bene instructos transmittat, assiduis exhortationibus elaboret: prouinciam circumiens Anglicanam, opportunis & importunis prædicationibus infest, vt pro defensione Christianitatis assumpto crucis signaculo, terram visitent transmarinam.

E P I S T O L A XI.

CÆLESTINI PAPÆ III.

AD SIMONEM DECANVM EBORACENSEM.

De administratione eiusdem diœcesis.

*Cælestinus episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio Simoni
decano Eboracensi salutem & apostolicam
benedictionem.*

CV M vniuersalis ecclesiæ regimen nobis licet insufficienibus diuina fauente gratia sit commissum, & fin-

gularum ex eis casibus præcauere teneamur & vtilitati-
bus prouidere , illud nobis est summo opere præcauen-
dum , ne inde ecclesiae in temporalibus vel spiritualibus
detrimentum incurant , vnde ipsarum honorem & com-
modum credimus procurare . Cum enim pensatis perso-
narum meritis , & diligenter inspectis , aliquis iuxta suo-
rum exigentiam meritorum per nos fuerit suæ dignitatis
potestate suspensus , & ab ecclesiarum prælatione ad tem-
pus amotus , ne subditis pastoris cura priuatis malignandi
materia tribuatur & occasio litigandi , eis in tali debemus
prouidere persona , quæ & litigantium dirimere quæsti-
ones , & subditorum excessus corrigere nouerit ; & , quan-
tum sui officii debitum patitur , & diligit , & affectet . In-
de est , quod cum Eboracensis archiepiscopus , eius acti-
bus exigentibus , & contumacia faciente , qui abusus pa-
tientia nostra , neque a suis iniquitatibus destitut , nec no-
stro se conspectui , indulto sibi misericorditer termino ,
præsentauit , ab vsu pallii , & episcopalnis officii executio-
ne , a ministratioне quoque tam spiritualium quam tem-
poralium , & beneficiorum perceptione nostra sit aucto-
ritate suspensus ; discretioni tuae auctoritate præsentium
duximus indulgendum , vt cum consilio canonicorum in
Eboracensi ecclesia residentium clericorum Eboracen-
sis dioecesis excessus corrigere valeas ; & querelantium
tam clericorum quam laicorum Eboracensis dioecesis
controversias , quæ iudicio exigunt ecclesiastico termina-
ri , canonice definire , canonica severitate , appellatione
remota , percellens eum qui super hoc contumaciter du-
xerit resistendum , donec eidem ecclesiae aliter fuerit soli-
citudine nostra prouisum . Nulli ergo omnino hominum
liceat hanc paginam nostræ concessiōnis infringere , vel ei-
ausu temerario contraire : si quis autem hoc attentare
præsumperit , indignationem omnipotentis Dei & bea-
torum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursu-
rum .

Datum Laterani decimo Kalendas Ianuarii , pontifica-
tus nostri anno quinto .

EPI-